

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

XXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

poenas imminere censent, quæ sunt damnationis illorum præcipua, non adventitia & ut vulgò loquuntur, accidentaria.

XXXI. Gottfridus Cundisius, Academiae quondam ad Salam Doctor, in Notis ad Compendium Hutterianum hæc habet: Vermis mordens symbolum est, curarum cor exedentium, in primis sensus acerbissimi in se effusa ira Dei & adversus peccata sua irritati iudicii Divini & horribilium poenarum & dolorum, seu morsuum male conscientie, implacabilis odii, item indignationis, murmuris & fremitus adversus DEUM, ortorum à fulmine sententiae damnatoria tristissimo, quibuscum conjuncta est futura sui-ipsius detestatio & execratio & votum *in æternam æternitatem* seu subita reductionis in nihilum, sed irritum & inane. Pleraque ex Harbardo, quem supra §. XXV. allegavimus. Georgius Albrecht, facundissimus quondam Nerolingenfium Ecclesiastes & Superintendentens, in Concionibus, quibus statum infernalem cœtui suo explicuit, eandem tueretur & defendit sententiam. Sermone XXVII. Livorem & invidiam, adversus semet, ob impoenitentiam, adversus salvatos, ob gloriam, adversus poenarum socios, ob gradus differentiam: Sermone XXIX. *invidiam* & blasphemiam, contra DEUM triumum, contra res creatas, Parentes, Præceptores, proximum, seipsos, propriaque membra, damnatis asserit. Denique Sermone XXXIV. inter alias causas, cur justum sit, peccata temporalia aeternum puniri, & hanc: quia interminabile peccatum interminabili poenâ coerceri conveniat, recenset.

XXXII. D. Jo. Georg. Dorfscheus & D. Jo. Conr. Dannhae-  
rus, par Theologorum Argentoratensium celeberrimum, libertatem hic sentiendi, quod quisque veritati convenientius judicat, permittunt, quamquam hic in sententiam, non peccare damnatos, ille in contrariam propendat. Nam in Synopsi Theolog. Zachar. cap. IX. §. 197. cum hanc quæstionem attigisset & pro negante argumenta, maximam partem ex Parkero, quem allegat, protulisset, concludit: Nihil hic de eâ re pronunciamus, remittimus lectionem ad Doctorem Nostrum Gerhardum contrarium asserentem. Hic verò in Hodosophiâ, Phæn. IV. p. 258. Videtur, ait, probabilius & ad gloriam Divinam justius, (quamquam hic iudicium modeste submittamus) fore blasphemiarum & peccatorum contra DEUM, cujus *parædoxum* cum hoc mundo finitur, modum ac terminum. Quod in Lactis Catechetici eâ parte, quæ